

ut respectu huiusmodi Epilepsia nullus morbus Gallicus quantumvis ferinus, nullus ulceratus cancer quantumvis malignus, necdum scrophalæ, & Ophthalmia quantumvis seuerissimi morbi essent, & in summo gradu possint dici magni morbi, ac multo minus dare iustam causam sanis monialibus ob horrorem videndi infirmas, deserendi clausuram.

¹⁹ Sed quodnam, obsecro, periculum, aut contagium commentatur in morbo Gallico Sebastian. de Soto, quod non possit à sanis monialibus facillime evitari? illud enim certissimum est huiusmodi morbum quemadmodum facilius per concubitus, ac carnale commercium communicatur, ita difficillime per alios quoscunque modos inficiendi, ut per diuturnam consuetudinem, per simplicem accubitus, per exceptionem Aeris ab infirmo expirati, per indumentorum usum, & aliter, qui modi etiam si promptissime communicarent contagium, cum contra difficillime, ac tarde admodum id præstare possint, evitari tamen nullo negotio possunt. Adde quod morbus Gallicus, nisi esset in summo gradu, ac pustulis, ulceribus malignis, intollerabilibus capitis, artuumque doloribus, consumptiva febre notabilis, nunquam ad tantam vehementiam solet ascendere, ut iudicari possit iusta causa deserendi clausuram ipsi sanis monialibus ob timorem contagii, à quo tamen sese præservare, ut dixi, facili negotio possunt.

De Phthisi videtur idem sentiendum, quod de lepra, nisi quod cum non habeat secum tantum horrorem, quantum habet lepra, potest facilius à sanis tolerari, ac satis erit, si iuvenulæ, ac illæ, quæ magis ex contagio periclitantur, sese custodiant, cum non sit morbus facile communicabilis à quovis subiecto in quodvis subiectum, unde recte determinatum videtur à Gibal. in. *ca. lib. de Claus. cap. 6. §. 6. m. 36.* quod Phthisi non sit sufficiens causa deserendi clausuram; sed illud me dubium fecit in prædicti Doctoris assertione, quid nempe sibi voluerit, cum dixit, Phthisi non esse sufficientem causam dimittendi infirmam monialem à clausura; & rationem reddens, quia, inquit, nondum tabidus pulmo deprehenditur, nam illico atque infirma patietur Phthisi habebit pulmonem tabidum, cum nihil aliud sit Phthisi, quam ulcus pulmonis, ex quo ipsi pulmones, & corpus totum cum ipsis contabescit. sed fortasse id sibi voluit, quod Phthisi non sit iusta causa deserendi clausuram, nisi sit confirmata, tunc enim absque remedio est, & pulmones, & totum corpus manifestissime contabescunt.

Cæterum connumerant insuper Doctores prædicti inter morbos, qui iustam causam præbent exiendi à clausura, rabiem, seu hydrophobiam, neque injuria id fieret, si ad contagium, ad periculum, ad morbi gravitatem, & ad illius horrorem respiceremus: nam & contagio communicatur, & periculi plenus existit, & est morbus gravissimus, & symptomata habet secum horribilia. sed quia cæteræ moniales facile se ab omnibus his tueri possunt, cum separari possit infirma, ac vinculis coerceri, si opus fuerit, non dabit iustam causam sanis exiendi à monasterio, neque ejiciendi infirmam si ad salutem publicam respiciamus. quod si ad salutem particularem nosmetipsos vertamus, ac existimabimus de necessitate monialem infirmam extrahendam esse à clausura, ut curetur, cum alias certissimo cursu tendat ad mortem, tunc particulari Pontificis dispensatione egebit, nam alias ut dixi, respectu

universalis interesse ipsarum Monialium non iudicari Rabies causa sufficiens deserendi clausuram. Gibal. *loc. cit. §. 6. m. 37.*

Connumerant insuper idem Doctores inter prænotatos morbos dantes iustam causam deserendi clausuram, ophthalmiam, nempe oculorum inflammationem, sed neque respectu contagii, neque respectu periculi, neque respectu horroris inspicendi infirmas; videtur hic morbus connumerari posse cum peste, & lepra; etiam enim videatur communicari posse aliquando per simplicem inspectionem oculorum ipsius ægrotantis, tamen quis non videt id levissimum esse, & inspectionem evitari nullo cum labore posse? sed dato quod evitari non posset, adhuc non videretur gravitas ipsius morbi sufficiens ad impediendum licentiam monialibus exiendi à clausura ob timorem contagii, nam etiam si nonnullæ contagium contraherent, id absque vitæ periculo ferret; præterquam quod morbus non est tam difficilis curacionis, ut plerumque intra paucorum dierum terminum sanabilem se non ostendat.

Quid dicemus denique de scrophulis, quas etiam præcipue Sebast. de Sot. noluit dare iustam causam Monialibus deserendi clausuram? at neque ob contagium, neque ob morbi gravitatem, neque ob horrorem possunt scrophulæ reputari pro iusta causa deserendi clausuram, cum vix, ac ne vix quidem de facili per contagium communicentur, nisi in teneriores ætates, nempe ante decimum quartum annum; tunc autem nulla Monialis huic periculo subiacet, quia ante prædictam ætatem professionem non emittunt, & ubi habitum non sumplerint, aut professionem non emerint, possunt, si contagium timetur absque voti violatione aut in alia monasteria transferri, aut in proprias domos remitti.

²⁰ Ut receptui ergo canonum concludendum ex dictis, nullum alium morbum dari posse ita pesti, aut lepræ similem, hoc est, habentem eandem pestis, vel lepræ conditiones, ut ad eum extendi possit permissio Pontifici exiendi à clausura, nam unus quidem deficit ab universalitate causæ alter à gravitate periculi, & unus quidem insufficientis est iudicandus, quia periculum ab eo emanans non respicit salutem omnium Monialium, alter, quia non est facile communicabilis ab uno in omnes, ut de ipsissima etiam lepra firmavimus, quæ tamen ob horrorem, quem intuentibus causat, magis sufficiens reputanda, quam alii similes morbi ab eo horrore immunes, ut de Phthisi diximus.

S V M M A R I V M.

1. *Lepra infecta Monialis potius dimittenda à clausura, quam sanas permittere eam relinquere ad evitandum contagium.*
2. *An in peste melius sit sanas dimittere, aut infirmas ejicere.*
3. *Tempore pestis omnis salus in fuga.*
4. *Aeris quoscunque mutatio tempore pestis est perniciosa.*
5. *Aeris mutatio semper perniciosa.*
6. *Vera pestis à sola Aeris purificatione originem ducit.*
7. *Vera pestis habet sua tempora Principii, augmenti, status, ac declinationis, non sic que ex contagio provenit.*
8. *Contagium non est vera, ac præcipua Pestis causa, ne vulgus sibi persuadeat.*

9. *Illud*

9. *Illud, in peste cetero, ac longe fugæ, & tarde redi, quomodo intelligendum.*
10. *Peste vigente neque sanæ à clausura exire permittenda, neque infirmæ ejicienda, sed sequenda potius sunt.*
11. *Cur, & quæ ex causa Moniales Peste infectæ sint potius à clausura dimittenda, quam sit permittendum sanas ab ea exire.*

Vigente peste, aut lepra in aliqua clausura sanæ ne, an infirmæ ab ea exire permittendæ.

Q V Æ S T I O III.

NON incautum dubitari potest, utrum vigente Peste, aut Lepra in aliquo monasterio, ac maxime si plures sint infirmæ, permittendum sit, sanas Moniales à clausura exire, an potius infirmas dimittere, & quia non eadem est ratio utriusque casus, ante de Lepra loquamur, & circa eam non videretur esse dubio locus, quod potius Moniales infectæ essent dimittendæ, quam sanæ; cum enim ex cohabitatione, & consuetudine cum infirmis, imminet, sanis infectionis periculum, eiectionis infirmis, sanæ à periculo tutæ remanent, quia à contagio liberantur. Adde quod non solum prospicitur salutem, & incolumitatem sanarum Monialium dimittendo à clausura infectas, sed etiam salutem ipsarum infirmarum, summum enim remedium in curatione Lepræ censetur aeris & Locis mutatio; & licet notum sit, quod etiam habitationes, in quibus Leprosi commorati fuerint, sint suspectæ, cum vel in ipsissimis parietibus hæreat semina contagii, ex quo facile succedit, ut sanæ etiam si in illis commorentur, infectæ remaneant, tamen hoc inconveniens facile evitatur purgando ipsas habitationes, easque mundando ab inquinamentis, si quæ à Leprosi inibi relicta fuerint; aut evitando per longum tempus commorationem in illis, ex se enim ipsæ temporis progressu emundantur, si ab aere externo perfari permittantur.

Tota difficultas est de peste, neque unius tantum generis difficultas est, nam si rem penitus examinemus, perspicue videbimus, non tam in propatulo esse, quoniam pacto quid agendum determinemus; utrum nempe una, aut altera Moniali peste infecta, permittendum sit, cæteras omnes clausuras relinquere, aut infectæ tantum sint dimittendæ; neque enim, ut dixi, simile est de peste, & Lepra quoad contagium, eisque agendi energiam, quia Lepræ contagium fundatur in materia lenta, & non facile pervagabili, contra pestis contagium fundatur in materia magis ignea, ac de facili pervagabili, ita ut bene succedat, quod eiectione Moniali Leprosa, cæteræ à contagio feruntur immunes, neque postmodum sit illis de ejus contagio timendum; sed eiectione Moniali peste infecta, adhuc cæteræ non sunt tutæ, quia contagii semina per ipsum aërem facile à sanis excipiuntur absque eo quod evitari ullo modo possint (dummodo vera pestis sit) & exhalationes, quæ à pestilenti corpore elevantur non inficiunt tantum habitationem, in qua Peste infectæ commorantur, sed huc illuc pervagantes ob earum tenuitatem, & agendi energiam ipsam Monasterii aërem inficiunt, ita ut sanis Monialibus

nihil omnino profuit, quod infectæ ejiciantur, atque hinc est, quod vigente vera peste vicini à vicinis tam promptè infici credantur. Itaque videretur potius dicendum, quod ubi Monialis aliqua peste, vera inquam, inficiatur, non ipsa ejicienda sit à clausura, sed permittendum potius sanas exire, ne ab infecto aere per infectam Monialem ipsæ quoque inficiantur.

Et pro hac opinione maxime facit communis persuasio etiam à Medicis canonizata, quod pestis tempore salus omnis reposita sit in fuga, quam persuasionem etiam Iureconsulti admisisse videntur, quorum infimul & Medicorum ad hoc auctoritates congesti *lib. 3. Tit. 1. quæst. 4. m. 6.* ergo incipiente peste, ac seipsum propalante in una, aut altera Moniali, nullum tutius, ac magis præsentaneum remedium sanæ Moniales habere possunt, quam fugam à loco infecto, ut per eam aëris inquinamenta vitare quam primum possint, alias omnes periculo infectionis, ac certæ mortis subiciuntur.

Alia tamen ex parte videretur, quod cum periculum infectionis ab infirmis in sanas imminet tantum à contagio, quod ipsa infecta sanis communicare potest, præstaret ipsam infectam à clausura dimittere, quia quemadmodum ab ipsa inficitur aër, & per aërem infici possunt sanæ, sic ea eiectione aër inficitur, neque sanæ periclitantur.

Præterea aeris mutatio tempore pestis est periculosissima, & est promptissima causa concipiendæ pestis, quod duplici experientia, & utraque quidem notabilissima probatur. prima est, quod tempore pestis ii maxime ab ea servantur immunes, qui minimam habent occasionem aeris differentis sese exponere, ut sunt qui in carcere detinentur, aut aliquo modo restricti aliquo in loco manent, & ipsæmet Moniales, quod etiam alias ex plurium Doctorum auctoritate adnotavi. ratio autem est, quia Natura primo assuetudine jam est traducta temporis aëri illi ejus loci sic restricti, & cum sensim illi sese assuefecerit, factus est jam illi veluti familiaris etiam si malam aliquam conditionem, & contrarietatem sortiatur, immo etiam si venenositatem contraxerit, nullam ab eo noxam ob prædictam assuetudinem percipit. si verò ad aërem contrariæ qualitatis immo inquam laudabilioris sese homo confert, illico ob contrarietatem ægrotat, quia Natura meliorem, ac laudabiliorem aërem attrahens, spiritus infectos ab aere priori jam putrefacto, ac venenato expellere volens, in causa est, ut illico pestis se prodatur, excitando motum in humoribus, & calorem, unde percepta contrarietate prioris aeris venenati sit pugna ad noxia expellenda, & sic morbus emergit; immo hinc etiam fit, quod qui huiusmodi locis restricti detinentur, si ab his eximantur etiam extra constitutionem pestilentem, facile ægrotent, & in constitutione pestilenti promptissime ipsa peste corripiantur, ut quotidiana experientia nos docet.

Secunda experientia est, quod etiam extra constitutionem pestilentem ipsa aeris mutatio semper est periculosa quia Natura difficulter mutationes, & maxime subitaneas pati consuevit, unde Lucret. *lib. 3. de Rer. nat.*

*Nonne vides etiam cæli novitate, & aquarum
Temerari procul à patria quicunque domoque
Advennunt.*

Vnde Celsus *lib. 1. sua Med. cap. 3.* sanitatis servandæ consilium tradens, Neque, dicebat, ex salubri

ij. Iii 2 loco

loco in gravem, neque ex gravi in salubrem transi-
tus fati tus est. quamobrem si absente aëris putre-
factione tam difficulter tolerat Natura aëris muta-
tionem, quanto difficilior tolerabit eam mutatio-
nem, si aër tam insigniter sit alteratus? dico etiam si
ex aëre putrefacto, & venenato mutatio fiat in bo-
num ac salubrem, quia quanto melior, & salubrior
erit aër, in quem fit mutatio tanto majorem con-
trarietatem habebit cum aëre jam putrefacto, & sic
natura magis ex hac contrarietate per eam mutatio-
nem afficietur. Itaque tutius est in aëre patrio, ac
familiari, aliasque sibi consueto sese continere, &
sic Moniales sanæ nullo modo permittendæ à clau-
sura exire ob imminens pestis timorem, sed potius
dimitienda esset infirma, ut cæteræ incolumes, &
tuta servarentur. Verumenimvero adhuc dubio non
vacat, an liceat ejicere ipsam infirmam, hoc enim
non fieret sine manifesto vitæ periculo ipsius infir-
mæ, cum si ejiciatur aëris mutationem multo diffi-
cilius tolerabit, quam sanæ; itaque ab ea causâ la-
befacta, & morbo jam conflictata certo certius
peribit; at ex Christiana charitate videtur habenda
ratio etiam vitæ ipsius infirmæ, contra quam fieret,
si ejus morte aliarum salus in tuto poneretur; maxi-
me cum non desint modi, quibus præservare liceat
ipsas sanas, ne ab infirma inficiantur. Augeretur
etiam dubium, ubi non una tantum Monialis esset
infecta, sed plures, quia plurium vita esset periculo
objicienda, ut alia servarentur, & pretio mortis
plurium, redimeretur salus aliarum, quod tanto
magis contra Charitatem Christianam esset. Scio
horum dubiorum resolutionem non futuram adeo
difficilem, & inextricabilem aliis doctribus, ut
perdifficilis, & inextricabilis mihi est, quia com-
munis D. D. opinio non aliam potiorem pestis causam
agnoscit, quam contagium, quod ab uno in-
dividuo in aliud communicatur ex consuetudine &
commoratione cum infirmis, eorum expirationem
excipiendo, ego vero, qui Hippocratis dogmatibus
innixus, nullam aliam pestis veram, ac præcipuam
causam agnosco, quam ipsius aëris putrefactionem
(licet negare prorsus nolim contagium etiam posse
concurrere tanquam particularem causam, & quæ
suam vim in longum perse protrahere non potest)
nullam viam video, qua possim prædictis dubitati-
onibus satisfacere, cum impossibile sit, in alteru-
trum ex prædictis inconvenientibus non incurrere,
aut sanis, aut ægris à clausura dimissis. ultra quod,
ut annuimus, neutris tutum est aërem mutare, ob
imminens singulis ab ea mutatione certum concipi-
endæ pestis periculum.

Quoniam autem multum urget, quantum ego
existimo, veritas hujus nostræ opinionis; non ab-
re erit illam firmissima aliqua ratione munire; &
primo patet, veram pestem non fieri à contagio,
quia vera Pests habet sua tempora distincta princi-
pii, augmenti, status, & declinationis, ita ut sen-
suum incipiendo, in augmentum abeat, deinde ad
statum perveniens, tandem declinat, & omnino
evanescit; hinc fit ut in principio pauci infirmetur,
mox indies plures numero peste corripiuntur, in
statu quamplurimi, ac denique paulatim pauci, ac
tandem nulli amplius corripiuntur. Hoc posito,
quod controversi non potest, facile patet pestem
non habere causam à Contagio, neque per illud
posse suum incrementum (in totum inquam, aut
pro majori parte) habere; quia contagii causa sem-
per crescit, & nunquam imminuitur, quo plures

enim homines peste corripiuntur, eo magis crescit
causa contagii, unde, si sic est, nunquam deberet
pests decrescere, sed semper augeri aucto indies
contagii fomento, quia cessante causa cessat effe-
ctus, sed contagium non modo non cessat, sed indies
augetur, ergo non à Contagio pendet pestis;
vera ergo causa pestis illa erit qua cessante cessat
pests, sed pestis cessat cessante Aëris alteratione,
& putrefactione, ergo aëris alteratio, & putrefa-
ctio est vera causa pestis, non contagium. Præ-
terea si pestis à contagio originaretur, deberet sem-
per procedere diminuendo, quia omne agens agen-
do reparitur, unde contagium à secundo communi-
catum in tertium, non habebit eandem agendi
energiam, quam habuit contagium communicatum
à primo in secundum, neque quod communicatur
à tertio in quartum, à quarto in quintum, & sic de-
inceps habebit eandem vim, unde semper vires a-
mittet, & necessarium erit illud omnino evanesce-
re; at res non ita succedit, ergo non videtur con-
tagium posse esse causa pestis. atque hæc veritatem
habere manifestissime ostendit quotidiana experien-
tia, cum observemus in peste particulari alicujus
individui, ex qua ob assiduum consuetudinem cum
infecto facile proximorum aliqui inficiuntur, atque
uno, aut altero infecto, tandem contagium suas
vires amittit, & evanescit, ita ut postmodum non
valeat aliis etiam cum infirmis versantibus sese com-
municare.

Vtius licet semper, cum pestis se prodit, som-
niamus à contagio causam habuisse, & ab aliqua
externa persona ad nos vel corpore, vel vestimentis,
vel marispiis, vel caligis comportatam, tamen si
rei veritatem indagare velimus, clare observare lice-
bit uno, eodemque tempore, imo uno eodemque die,
ac hora in diversis urbis partibus à se maximopere
distantibus plura individua ex peste infirmari, quæ ab
ea infecta persona, quæ putatur primo pestem com-
portasse nullam habere poterunt contagii causam,
cum nullam cum ea consuetudinem, neque ullam
illo modo communicationem habuerint. Ad quam
experientiam advertere serio debemus, ubi conta-
gii falsum, ac nimis excedentem timorem tempera-
re, ac moderari velimus; & hanc ipsam experien-
tiam, licet maxime observetur in Epidemia, & Pes-
te, observare poterimus in qualibet anni tempesta-
te, præcipue autem cum morbi plures vagantur; &
una, eademque die, videbimus plures in variis
urbis partibus morbo præhendi, qui vagari solet,
ut Tertiana, Febre ardente, Pleuritide, Squinania,
& id genus aliis.

Neque desunt aliæ permultæ rationes ad pro-
bandum, nunquam contagium esse veram, & adæ-
quatam Pestis causam, sed causam ipsius veram,
& adæquatam esse aëris alterationem ad qualitates
deleterias, & malignas, quas rationes validas illas
quidem, & veritati consonas in aptiorem locum
reicio.

Ad rem nostram redendum dico, quod si hæc vera
sunt, nunquam erit tutum ipsis Monialibus sanis
clausuram relinquere, & incassum etiam infectæ e-
jicerentur, tum quia etiam ipsis ejectis non cessaret
causa pestis, nempe aëris alteratio ad qualitatem
pravam, ac perniciosam, tum etiam quia vitæ pe-
riculum non ab ipsis imminet, & si quod imminet
potest industria, & cautione debita evitari, & quod
imminet ab aëre non potest ejectione earum illo
modo evitari.

Neque

Neque in contrarium facit jam Canonizata, ac
receptissima Doctorum sententia, qua suadent. In
peste cito, ac longe fuge, ac tarde redi, de qua tam
Medici, quam Iureconsulti, quia id veritatem ha-
beret, quando liceret fugere atqueam loci aër pu-
tresceret, nam alias fuga non solum non est profi-
cua, sed nocua, cum, ut diximus, aëris mutatio
tempore pestilenti adeo sit perniciosa, ut etiam
mutatio in meliorem tuta non sit, nam, quod ad-
miratione dignum est, Natura potius affluefcit sen-
sim ac paulatim aëri pestifero, quam bono, & lau-
dabili contrarietur illi, in quo ante commoraba-
tur, quod experientia confirmat in iis, qui in car-
ceribus detinentur, aut in clausuris, ut alias dictum
est, nam non obstante aëris putrefactione, quæ in
peste fit, minus quam cæteri homines, peste præ-
henduntur, ut notavi lib. 3. *hærum quæst. Tit. 3.* Hinc
fit, ut semper principium pestis dicamus esse ab
advenis comportatum ad nos, nam ob aëris muta-
tionem, quæ, ut dixi, eo tempore est maxime no-
cua, advenæ ante alios infirmantur, licet eodem
tempore alii permulti infirmantur absque eo quod
cum Advenis ullam consuetudinem, aut commer-
cium habuerint. Sed quomodo concipiatur sit sanæ Mo-
nialies tempore Pestis non deberet clausuram relin-
quere ob periculum infectionis, quia fuga sibi non
caverent, neque infirmæ essent dimitteudæ, quia
ut dixi, non ab ipsis imminet vere periculum, &
quod imminet præcaveri cautione potest. ut seque-
strando eas ab aliis, & earum curæ eas præfigendo,
quæ magis tuta servari à peste posse existimantur, ut
vetustiores sunt, & quæ aliis longis infirmitatibus
conflictata fuerint, & has ipsas monendo, ut de-
bitis antidotis, & vicis ratione laudabili, aliisque
cautionibus ad se muniantur utantur, quibus uti
eos oportet, qui peste infectorum curationi affi-
deat. Quod si ex indulgentia, & permissione Pon-
tificis, Episcopi, & aliorum, qui Monialium cohi-
bentium hærentes maxime communi hominum opi-
nioni de Contagio dubitatur, utrum sanæ, an infir-
mæ permittendæ sint à clausura exire, certe si ad
contagium respiciamus potius quam sanæ infirmæ
sunt dimitteudæ, non solum quia pauciores numero
erunt infirmæ, quam sanæ, sed quia sanis exeunti-
bus ob aëris mutationem periclitarentur, & nihil
boni ipsis infirmis à sanarum exitu emanaret.

Illud denique monendum, quod ubi communis
opinio de Contagio locum habere debeat, & ali-
quæ ex Monialibus debeat à clausura dimitti, pes-
tem debere esse veram, hoc est morbum Epide-
miale perniciosum, ac malignum, ex cujus vehe-
mentia, & pravitate plures occumberent, alias non
sufficeret simplex Epidemia, etiam si aliquibus esset
perniciosa, & idcirco, ut à principio dixi, Pon-
tifices permittentes Monialibus exire à clausura ex
causa Epidemice, intellexerunt Epidemiam peri-
ciosam, & pernecabilem, hoc est veram Pestem,
cujus signa asserre supervacaneum omnino esset,
cum alias allata abundanter fuerint lib. 3. *hærum
quæst. cit. Tit. 3.*

S V M M A R I V M.

- 1. Monialis Peste, vel Lepra infecta à clausura dimissa, debet sana facta ad illam redire.
- 2. Leprosi retinent in se ad longum tempus semina contagii.

- 3. Monialis Leprosa sana facta potest absque aliarum periculo ad clausuram redire.
- 4. Leprosa quando sit dicenda vere sanata, & num. seq.
- 6. Quandonam intum sit cum Leprosa sana facta commorari, quando vero non.
- 7. Peste infecta si sanetur quandonam debeat ad clausuram redire.
- 8. Sanæ Moniales ob Contagii timorem clausuram relinquentes, quando teneantur ad eam reverti.

Moniales Lepra vel Peste infectæ,
& à clausura dimissæ, si sanentur,
quando nam reverti ad clausuram
teneantur.

Q V A S T I O I V.

Sanæ Pontifices permittentes Monialibus exire
à clausura ob alteram ex prænominatis causis,
nempe vel ob timorem contrahendi hujusmodi
morbos, vel ob easdem Pestis, vel Lepre infe-
ctionem, jubent etiam, ut cessante timore, aut sa-
nis factis infirmis, si dimissæ à clausura fuerint, ad
eandem clausuram revertantur, ibi, sed nec in præ-
dictis casibus extra illa nisi ad necessarium tempus
stare licere. circa quæ nonnulla sunt à nobis etiam
consideranda, & primo quod Lepra duo occur-
runt dubia, primum utrum Leprosi etiam si sanata
videatur, redire teneatur ad clausuram, & Monia-
les debeant illam recipere.

Secundum quam ratione constare possit, Le-
prosam esse perfecte sanatam. Et quoad primum
ratio dubitandi est, quia etiam si Leprosi aliquando
videantur sanati, & forte cum effectu, ac vere sa-
nati sint, tamen retinent in se contagii semina
ad longum tempus, quibus & facile in morbum
reincidere consueverunt, & aliis quoque conta-
gium communicare: nam si ipsa Leprosorum indu-
menta, & alia id genus, sed quid indumenta dixi?
si ipsi inquam habitationis parietes, in qua Leprosi
commorati fuerint, ea contagii semina ad longum
tempus retinere solent, unde in sacris abradebantur
hujusmodi parietes ad domum emundandam,
& contagii semina dissipanda, quanto magis ip-
sam cutis, & carnes, & membra Leprosi etiam
principali Lepre causa remota, in se hujusmodi
contagii semina retinebunt? Ac profecto simile
quid indies experimur in morbo Gallico, cum qui-
dam ab eo curati, morbum tamen congregiebus
communicant, & præcipue foeminas, quas cum Me-
dicis omnibus observamus sæpissime viros inficere,
cum tamen ipsæ sanæ degant. Ergo cum adhuc mi-
lites causa, ob quam potissimum Monialis Lepro-
sa à clausura fuerit dimissa, si semel sit ejecta, non
amplius redire debeat, neque à sanis amplius in
clausuram admitti, etiam si sanata omni ex parte vi-
deatur. præterquam quod etiam si semina quoque
contagii evanuisse contendamus, nunquam cessat
naturalis quedam dispositio ad Lepram contrahen-
dam, ob quam de facili semel sanati Leprosi, in
morbum relabuntur. Neque solum in morbo Gal-
lico (qui morbus magis Lepre similis videtur) sed
in Peste etiam idem observamus, nempe quod ali-
qui à Peste in nulla sanitatis parte contaminati, ex
eo quia aliqua ex causa, quæcunque tandem illa
fuerit, conceperint, seu mavis susceperint in se Pe-
stis

stis semina, alios inficiunt. eodem quoque pacto cum latere possint in corpore Leprosæ Monialis etiam si sanata sit, ipsius Leprosæ semina, ultra naturalem dispositionem, ex quibus & in morbum reincidere, & sanas inficere est apta, non erit in clausuram ulterius admittenda.

His tamen non obstantibus ad dabitum absolute dicendum, Monialem Leprosam, si sana sit facta, debere, ac posse absque sanarum periculo in clausuram admitti suo tamen tempore, factisque diligentis, quas faciendas monebimus: nam quod dicitur, Leprosos etiam sanatos retinere in se contagii semina, non undequaque verum est, si enim velimus hoc perpetuo habere locum, & hæc contagii semina perpetuo hæreere eorum corporibus; hoc quidem fallum omnino est, & experientie contrarium, cum videamus plures Leprosos cum effectu a morbo sanatos, nec in posterum in morbum amplius reincidisse, neque alios cum ipsis commorantes, aut eorum consuetudine utentes coinquinasse. si autem velimus ea semina conservari ad aliquod tempus rationabile etiam post curatam Leprosam, tunc concedi hoc poterit, sed cum hoc etiam asserendum posse ea contagii semina post sanatam Leprosam facile removeri, ut lotionibus, balneis, frequentata corporis emundatione, ac iterata naturalis affectata indumentorum cuiusvis generis mutatione, ac membrorum sæpius repetita munditie; quibus præcedentibus permittendum est Leprosam ad clausuram redire, omne enim infectionis periculum per id temporis ex adhibita diligentia evanuisse certo certius firmandum.

Neque verum est simile quid evenire in Leprosam, ut in morbo Gallico, & in Peste, quia tam Pestis, quam morbi Gallici semina possunt in aliqua corporis parte ita hæreere, ut de se nullam significationem præbeant, interimque totum corpus sanum appareat. in Leprosam necesse est, ipsam sanguificationis principium, hoc est hepar, hæc semina retinere, ex quibus Leprosam aptus reddatur ad morbi reincidentiam, & si quæ semina in cute, & carnibus remaneant, aut in quavis corporis parte ex prædictis diligentis adhibitis facile diluuntur, ita ut nequæ sanis inde ullum periculum infectionis imminere possit, neque ipsis infirmis recidivæ. Secundum dubium erat, quomodo certo constare debeat, Leprosam esse sanatam, ut sciamus quando ad clausuram redire teneatur, & quando teneatur sanæ illam in clausuram admittere. sanam ergo dicendum esse factam Leprosam, cum ad statum naturalem redierit, quod succedit cum cessaverint omni ex parte, & in totum omnia, ac singula incommoda, & accidentia, quæ Leprosam ipsam concomitantur. circa quæ adnotandum, quod permissio exeundi à clausura facta Moniali Leprosæ; censenda facta in vera, ac legitima Leprosam, non promiscue in quavis simili dispositione, etiamsi quam proxime ad Leprosam accederet; quia cæteræ omnes, ac quæcunque eutanæ infectiones dummodo non pervenerint ad Leprosam naturam, quin & ipsamet Leprosam dummodo non sit confirmata, possunt, licet non sine difficultate superari, nec periculum minantur tam præsentium; neque si contagio communicentur, tam horribilis, ac fœdæ naturæ sunt, ut sanas vili ipsi exterreant, quemadmodum in vera, ac confirmata Leprosam succedit. Itaque Leprosam ut à clausura ejici debeat, præ se ferre debet omnia signa veræ, ac consummatæ Leprosæ, iisque cessantibus,

& undequaque evanescentibus, videretur firmandum, Leprosam esse perfectè sanatam, ac debere ad clausuram reverti. Verum omnimodo aliter sese res habet; nam non solum necesse est ad sanarum tutelam, infirmam non retinere ullum ex signis veræ Leprosæ, sed neque retinere eam oportet ullam dispositionem ad Leprosam, unde etiam ab ejus cute squamosa quædam corpuscula, ut antea, amplius non decidunt, & caro jam suam naturalem colorem recuperaverit, & cætera symptomata, quæ veram Leprosam concomitantur, penitus cessaverint, & tamen perseveret adhuc universalis quidem pruritus, velut incipiente scabie, ita ut videatur Leprosam in levem scabiem mutata, nec sibi, nec sanis Monialibus poterit esse tutus reditus in clausuram, quia facile morbus recrudescere potest, & levis ille pruritus, aut scabies in novam Leprosam degenerare. Ergo, ut tutus ejus reditus sit, ad eam statum devenire eam oportet, ac si nunquam ægrotasset.

Carnis ergo dispositio talis esse debet, ut naturalem colorem, molitiem, & levitatem recuperaverit. nulla in facie tumefactio, nullus in oculis rubor, nulla fuscio, nulla obscuritas appareat, nulla respirandi difficultas eam molestat, nulla vocis crassities, vel rauco, nulla sternutatio frequens adnotetur. Anhelitus suum naturalem odorem servet, locutio libera sit, nec per nares fiat, capilli in suo statu persistent; neque rariore, aut subiliores, quam ante morbum essent, sint, sudor nullus olidus appareat, somni fiant placidi, nec in somnis terrores adint, sed ipsa somnia sint qualia in bene valentibus esse debent, non horribilia, neque melancholica, neque fantasmatibus turbis perturbata. Mores quoque reditum ad consuetum faciunt; forma ipsius corporis, atque habitus sit qualis ante quamcumque infectionem erat non crassior, ac pinguior, neque tenuior. Facies, & caput ab omni inquinamento sint libera, & cutis universi corporis levis, æqualis, & munda, nullum ulcus, & maxime in palato, & naribus, aut circumvicinis partibus appareat; crura, & pedes naturalem dispositionem retineant, tunc enim sana judicari poterit & ad clausuram redire.

Sed adhuc dubitari potest, an sanæ tuto cum infirma sic sanata commorari possint, & cum ea consuetudinem habere, ejusque res, & vestimenta impune in usum proprium convertere, & hoc quia tametsi undequaque sana videatur facta, tamen ob naturalem dispositionem possit sanis contagium communicare. Circa hoc igitur videtur dicendum, quod Leprosam vel incidit in morbum ex naturali quadam dispositione, & maxime hæreditaria, vel ob errores in victu, & in usu sex rerum non naturalium commissos, & ex causa externa, & præcipue ex contagio ab aliis contracto; in priori enim casu non vacaret suspitione consuetudo cum infirma, & commoratio longa, aut accubitus cum ea, & exceptio assidua ipsius expirationis non obstante integra, atque incolumi sanitate, ad quam rediisset; multa ergo cautela opus esset, neque cum illa frequenter commorari sanas oporteret, neque ejus indumentis uti, vel cibum una capere, & ipsius pocula in potandum præmanibus habere, quia semper periculum infectionis hæret in radice, & à Natura ipsa, & possunt ex improvise semina morbi excitari, ac repullulare, & sanas inficere. est enim vitium in seminibus, quod nullo tempore, ac nulla arte, & industria removeri potest. In posteriori casu

S V M M A R I V M.

- 1 Moniales aliquando ex vitio Aëris ipsius clausuram infirmantur, & id quomodo evenire possit.
- 2 Virum si Aër clausuræ videatur manifeste alicui Monialis perniciosus, possit judicari legitima causa dimittendi eam à clausura.
- 3 Et quid si idem Aër esset pluribus damnosus.
- 4 Moniales S. Sixti ad Quirinalem translatæ ob Aëris clausuræ S. Sixti pravitatem.
- 5 Quid si ex vitio Aëris ipsius clausuræ quotannis aliquæ graviter ægrotarent, ac perirent.
- 6 Et quid si singulis viribus, aut quatuor, vel quinque annis id accideret.
- 7 Et quid si magis de raro eveniret, in singulis quinquem, vel viginti annis, num. seq.
- 8 Prædictorum declaratio, & limitatio ex emendabilitate, vel inemendabilitate vitii ipsius Aëris.

De Monialibus, quæ ex culpa Aëris ipsius clausuræ infirmantur, & in quibus casibus videatur adesse iusta causa relinquendi Clausuram.

Q V Æ S T I O V.

Non raro evenire potest, ac de facto usivenit, ut aliquæ Moniales ex vitio Aëris ipsius clausuræ in quosdam morbos non aspernabiles illos quidem, sed vel vitæ periculo, vel contumacia, & fandi difficultate, vel accidentium horribilium concomitantia notabiles incidant. hoc autem vel alicui Moniali tantum, vel pluribus accidit, idque vel statis temporibus, ut singulis annis Vere, vel Autumno, Estate, vel Hyeme, vel alternis, vel ternis, vel quaternis singulis annis vigentibus maxime certis tempestatibus, ut Borealibus, vel Austrinis, humidis, ac pluviosis, vel siccis, pro quarum differentia variant etiam ipsi morbi natura, & pericula; nam aliqui sunt pravæ, ac malignæ conditionis, ac fere pestilentes, terminanturque ut plurimum ad mortem non aliter quam vere pestilentes, alii vero terminantur ad salutem ut plurimum quorum duplex genus est: nam alii cito, & cum securitate ad salutem tendunt, alii vero admodum, nec sine dubietate, & periculosis symptomatibus, sicutque ex sua natura rebelles, & contumaces, detinentque infirmos ad plures menses impeditos, & inhabiles ad Religionis, imo inquam ad propria munia obeunda. De illis morbis, qui cito terminantur ad salutem, nulla hic nobis habenda ratio videtur, sed tantum de posterioribus, de quibus maxima quidem consideratio habenda.

Cæterum Aëris prædictæ clausuræ vitium vel commune est totius clausuræ, vel certæ ejusdem clausuræ partis, ut exempli gratia, ejus tantum, quæ ad Austrum vergit, vel ad Aquilonem, quod manifestum sit ex eo, quia illæ tantum Moniales infirmantur, quæ eam Monasterii partem inhabitant, idque illis maxime succedit stantibus Austris, vel Aquilonibus, sed de particulari primum Moniali loquamur, cui supponemus Aërem ipsius clausuræ esse ita contrarium, ut commorans in eo semper morbis conflictetur non quidem nullius momenti, sed symptomatibus, & pertinacia non contemnen-

dis, decidendum ergo erit, an huic Moniali concedi debeat licentia exeundi à clausura; ac profecto ubi nostra opinio veritatem haberet, quod permissio exeundi à clausura respiciat tantum universalis salutis interesse ipsarum Monialium, quia id certo non nisi ob contagiosos quosdam morbos permissio emanavit, nempe ob Pestem, & Leporam, nulla causa iusta offertur, ob quam permitti debeat huic Moniali exeundi à clausura, cum supponamus, eam nec morbo contagioso laborare, neque aliis ullum sanitatis incommodum communicare posse. Egebit ergo hæc Monialis specialis Pontificis dispensatione, cum universalis indulto inniti non possit. Itaque ubi specialis dispensatio desit, satis superque erit si in ipsa clausura procuretur huic Moniali minus noxia habitatio, & locus, qui laudabiliorē Aërem habere iudicabitur. In sententia vero Navarræ aliorumque Doctorum, iusta offertur causa, ut permissione illa universalis, (quatenus ad quosdam alios casus particularem salutem Monialium concernentes extenditur) uti liceat deserendi clausuram etiam absente contagio, & nullo imminente periculo ab ipsa infirma in alias Moniales contrahendi easdem infirmitates, quod quidem procederet, ubi in ipsa Monasterii clausura nullus reperiretur locus, ubi hæc Monialis sana vivere possit, & à morbi reincidentia tuta commorari, qui si non reperiretur talis, tunc locum haberet Navarræ, & aliorum opinio; & ego quidem licet dicam non licere huic Moniali ob propriam salutem recuperandam à clausura exire, hoc significare volo, ut non liceat attentis Pontificum, & sacrosanctæ Tridentinæ Synodi verbis; nam alias permissionem huic Moniali factam Iustitiæ consonam existimarem, tamen ut illa propriam salutem recuperaret, licet nullam ejus rei rationem habuisse Pontifices videantur, ut toties dixi) tum etiam ob ipsius universalitatis, & totius Monasterii frequens, ac perenne incommodum, dum prædictæ infirmæ curæ quotannis vacare Moniales cogerentur non sine periculo etiam salutis earum, quæ eam gubernant; nam ut quotidiana palam sit, semper in diuturnis, ac difficilibus morbis ii, qui infirmorum hujusmodi curæ assident, illisque ministrant, vix ex longo inoptimodo, & exceptione exhalationum perenni ab infirmo corpore emanantium immunes ab aliquo morbo evadunt.

3 Quid dicendum præterea esset, ubi Aër ipsius clausuræ non uni tantum Moniali sed pluribus esset maxime inimicus, ita ut quotannis plures eodem morbo infirmarentur? dico autem ex morbo longo, difficili, & contumaci, nec ab omni periculo immuni. Hoc dupliciter evenire potest, vel quod certæ quædam Moniales, ut quæ magis valetudinariæ sunt, quotannis eo morbo præhenduntur, vel quod indifferenter omnes, ac modo hæc, modo illæ; in priori enim casu, patet clausuræ aërem non esse nisi

certis personis insensum; in secundo autem patet esse insensum omnibus; & videretur quidem tanto magis iustam causam relinquendi clausuram videri in priori casu, quanto plures infirmarentur, ita ut concedi facile illis ea de re posset licentia exeundi à clausura, & multo magis etiam iusta causa relinquendi omnino monasterium militare videretur in secundo casu; nam ad quid Moniales in ea clausura detinere, ubi ob frequenter infirmitates plura eorum, ad quæ ut Religiose obligantur peragere ex morbi impedimento non sunt aptæ? Satis ergo est locum commutare, & alio commigrare, ut alias factum fuisse accepimus hic Romæ; nam cum Moniales in clausura S. Sixti ob Aëris illius pravitatem frequentissime ægrotarent, & frequenter etiam ex morbo succumberent, ad Quirinalem sunt translatae, ibique Monasterio nobilissimo quidem constructo sanæ posthac laudabilioris Aëris beneficio degerunt.

Dubio autem locus non est, quod si ex Aëris malitia non solum frequenter, & graviter, aut etiam longo tempore Moniales ægrotaverint, sed etiam quotannis una, aut altera ex morbi violentia periret, tanto magis iusta causa militaret relinquendi clausuram, & habitationem commutare, quod quamvis lege, quibusve cautelis, ac conditionibus fieri oporteat, videndum apud Canonistas, inter quos videantur August. Barbol. de off. & Pot. Episc. Alleg. 102.

Videntur præterea hæc omnia amplianda, ut non procedant tantum si singulis annis, ut relatum est, plures Moniales prænomina ratione ægrotaverint, aut perierint, sed etiam ubi singulis ternis, vel quaternis annis, vel etiam pluribus idem eveniret, dummodo non tam de raro id fieret, ut propter raritatem non videretur ulla ejus rei habenda ratio. nam controversi non debet, quod causa relinquendi clausuram tanto minus iusta esset, quanto magis de raro similes infirmitates grassarentur; unde si singulis viginti quinque annis id accideret, absque dubio hæsitandum in hoc esset, nec tam facile esset concedenda hujusmodi licentia, tamen si & cum hoc observari deberet etiam ipsius morbi vagantis conditio; nam si singulis viginti quinque annis morbus talis debaccaret, ut plures Moniales abriperet, tunc etiam iustitia causæ videretur, militare, ut liceret relinquere monasterium, & à clausura exire, aëremque ab eo vitio liberum inhabitandum suscipere. Quæ tamen omnia videntur limitanda, ut locum habeant quando Aëris vitium neque auferre, neque emendare vel in totum, vel pro majori saltem parte possibile fuerit; idque consistere forte debet ex prægressa diligentia, qua plura tentata, & machinata fuerint ad noxium Aëris vitium emendandum, aut tollendum, & tamen Moniales nihil inde boni fuerint consecuta, unde ex antea facta experientia vitium inemendabile esse constet.

Tituli Tertii Finis.

PAULI ZACCHIE

Medici Romani

QVÆSTIONVM

MEDICO-LEGALIVM

Liber Nonus :

H A B E N S

CONSILIA & RESPONSA

Ad prædictas Materias

MEDICO-LEGALES,

pertinentia.